



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Illvstrissimo, Et Reverendissimo Domino D. Camillo De Nevville, Comiti Et
Archiepiscopo Lvgdvnensi, Galliarvm Primati, & apud Lugdunenses,
Foresienses, & Bellijocenses Proregi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)



ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO DOMINO
D. CAMILLO
DE NEVFVILLE,
COMITI ET ARCHIEPISCOPO
LVGDVNENSI, GALLIARVM PRIMATI,
& apud Lugdunenses, Foresienses, & Bellijocenses Proregi.



VDACIAM facit mihi Facilitas tua, ARCHIEPISCOPE ILLVSTRIS-
SIME, neque vitio dare potes, quòd Te importunus adeam, quin eâdem operâ, tuarum Virtutum amabilissimam crimineris. Humanitatem loquor illam, quæ tibi omnis ætatis & conditionis deuincit homines, quæ in Te tantò ratiore, quò magis publica; eò sublimior existit, quò te benignius demittis ad infimum quemque. Non eorum videlicet æmularis naturam Magnatum, qui quo in viciniorem cœlo locum euehuntur, hòc magis subducunt sese populorum oculis; id se mè commune cum syderibus habentes, quòd non nisi eminùs se patiantur aspici; & quamuis in se magni, plurimùmq; splendoris habeant, ob

distantiam tamen vix cadunt sub oculos , nihil-
que admodum sibi subiectis , aut minimùm certè
malignæ lucis impertiuntur. Tu, quantò prior
nobis , tanto videris Maior & es ; quanto fami-
liariùs nobiscum agis , tantò magnificentiùs glo-
riæ iubar , benignioresque influxus beneuolentiæ
circunfundis. Neque vero propterea perstringis
oculos fulgore nimio dignitatis amplissimæ , dum
sic Te cominùs videri sustines : Illustriores quippe
radios , à tuis promicantes Infulis, castigatos mo-
destiæ velo , sic attemperas , vt totus cuilibet Te
intuenti pateas , Te aduenti facias sine fastidio
copiam tui. Ab illorum , inquam , morosorum
Procerum moribus abhorres , qui quò celsiori se-
dent in gradu, hòc cæteros despiciunt arrogantius,
nihilque reputant , quæ positas infra se vident. At
Tu , his sublimior omnibus & melior, qui amore
incitatus publicæ rei, ingenitaque ad benefacien-
dum propensione , ad nos descendis , vt nostra è
propinquo cernas ; mala, vt depellas, bona, vt au-
geas ; non Antistes solum noster , sed Ara ; non
Præsul modò , sed præsidium ; euectus quidem
supra nos , capitibusque impositus nostris ; at vt
tegas , non opprimas ; vt nostra sis Corona , non
pondus. Dicam iterùm, quod nemo audiat, quin
te miretur & amet : Tu , supremus Ecclesiæ Gal-
licanæ Primas, Tu nobilissimæ Metropolis orna-
mentum , clarissimique Cleri caput , & cætero-
rum Princeps Iudexque Præsulum, Tu Lugduni
Rector, hoc est, Cordis Galliæ Anima, & Leo-
nis Gallici

nis Gallici Cor; Tu, non vnus Administrator
pro Rege Prouinciæ, & Mareſcalli maximi ac
Paris Franciaë Frater, par, ætateque duntaxat mi-
nor; Sic Te ad ſubditorum quemque deiſcis, ſic,
beneuolus occuris omnium votis, ſic Te nobis
præſtat amor vbique ſimilem, nullâ vt re discre-
pare ab hominum vulgo videaris, quàm meritis;
adeò auctoritatem coërces illam tuam, qua potes
omnia; adeò huic etiam ſummo, quo præes, Im-
perio, vt ſic loquar, imperas; & minimo ſono, al-
tiſſimorum inſtar fluuiorum, tuæ in nos liberali-
tatis aquas euoluis, & latè patentem munificen-
tiam cogis in anguſtum, & ſi tibi liceret, etiam in
occultum. Sed nimirum, quis occultet, quod in
publicum ſpargitur; Fruſtra tegas, quod vniuerſa
vidit Gallia, quod Lugdunum ſenſit, quod mi-
rata Europa eſt, quod Hiſtoria conſecrabit futuris
ætatibus; videlicet, quo tempore nutabat Regnū,
cū graſſaretur ciuile bellum in iſſis Galliaë præ-
cordijs, eiufque membra ferè omnia, inſtine
discordiæ virus iam concepiffent, illud, Lugdu-
nenſem urbem Regni Cor reſpuiſſe fortiter, man-
ſiſſe in Fide, ſtetiffiſſe in officio, & oppletam licet
fumo circum tumultuātium Prouinciæ, Re-
gem tamen agnouiffiſſe ſuum, Regio ſemper adhe-
ſiſſe lateri; at Duce Te, at tua præeunte Sapien-
tia, & Auctoritate monſtrante viam. Itaque, ſi
nunc ſedatâ belli tempeſtate tam diuturni, lætiſ-
ſimæ pacis ſerenitate fruimur; ſi ſpolijs onuſta,
grauidaque victoriis Gallia hodie triumphat: ſi

remaneant

remeant Aurei Seculi pretiosa tempora, aureique fluere incipiunt anni; tanti beneficij non exigua pars ad te pertinet, Præful ac Pro-rex sapientissime, Tibi debetur laus non leuis, & gratiam mereris non vulgarem.

At, quò me tuarum abripuit Laudum admiratio? vnam dum suspicio Humanitatem tuam, quàm multa, quàm singularia merita recensui: Nempè, connexæ copulatæque inter se virtutes sunt, continuata veluti serie annulorum: Vnam si assumas, non possunt reliquæ non sequi. Hæc ergo illa est, quod initio dicebam, incredibilis Facilitas tua, quæ mihi ad Te patefecit aditum, has vt dedicare Amplitudini Tuæ lucubratiunculas audeam; æstimas enim dantis studium magis, quam dati meritum: de Forma loquor, quam huic operi induxi, non de Materia, qua nihil maius & augustius offerre tibi quisquam potest, addo & conuentius tibi. Nihil enim hîc nisi diuinum, nisi venerabile, nisi sacrum. *De Deo* siquidem, hoc primo Volumine differitur, cuius tu sustines personam *De Angelis*, quorum munus geris & nomen; Præfules quippe sacros, Theologorum Dux Ioannes, appellat Angelos: *De Homine*, cuius curam Tibi præcipuè demandatam intelligis. Altero autem disputatur *De Christo*, cuius Tu in hac illustrissima Metropoli Vicarias agis partes: *De Dei-para*, cuius cultum & originis illibatæ decus asseruit prima omnium, Ecclesia Lugdunensis, cui feliciter præes: *De Sacramentis* denique,

nique, quorum Tu Minister es summus, & omen habes in nomine, quorum ritè conficendorum potestatem impertis aliis. Decet ergo ad Te sacra refluere, quæ à Te fluunt; & nihil sacrum, hac maximè in Vrbe, quam regis, vel dici publicè vel scribi, quod ad Te non sit referendum: excepit videlicet te nascentem Caput orbis Roma, vt eadem terra te mundo nascentem daret, ex qua Sacra omnia oriuntur: Suscepit ex Sacro fonte supremus Sacrorum Antistes, suoq; Camilli nomine insigniuit, vt iam inde intelligeret magna illa & fiducia sui nominis plena Italia Camillos habere Galliam, qui sedere possint ad gubernacula, & regere Petri nauim. Reuocauit te sibi, & vindicauit iterum Gallia, vt semper tuta esset per Villaregios, vel vt in tuo vno Capite omnes Villaregios collectos videret. Viuunt illi omnes in te, (Prorex meritissime) & tam multa illa nomina solus implet. Magni videlicet Aui tui capacissimam mentem, & Henrici Magni consilij parem. Parentis Clarissimi, probatam Gallia ac Italia Sapienciam, & inuictissimi Marecalli fratris Regio dignam magisterio virtutum omnium hereditatem. Maeste hanc gloria (Præsul Sapiencissime) vt dum te inaugurat Ecclesia, Roma desiderat, Gallia vindicat, virtus coronat immortales etiam tibi palmas, Præsidi nunc suo supplex, & venerabunda offerat Theologia.

Ad id autem officij, quod mihi cum cæteris

commune

a Camillus
idem
quod
Sacrorum
Minister.
Stat.
Tullianus 2.
de vocab. re-
rum.

commune est, accedit priuata ratio, Tuus in me
Fauor, (dignaris enim me tua beneuolentia)
quodque facio pluris, Tuus in Societatem no-
stram eximius Amor & studium; cui tantum
tribuis, quantum eius gratia cupis: tantum
verò cupis, quantum testantur ipsa, quibus
illam ornare soles, beneficiorum monumen-
ta præclarissima, quæ tandiu extabunt, quan-
diu vigeant apud nos literæ; tandiu por-
rò florebit apud me, tuorum in nos prome-
ritorum memoria, quandiu durabit hoc Opus:
durabit autem in omne æuum, tum quòd diui-
num & immortale eius argumentum est, tum
quòd illud Illustrissimo Nomini tuo consecra-
rim.

Amplitudinis Tue,

Seruus Addictissimus, GEORGIVS DE RHODES
è Societate I E S V.

BENEVO